



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Praeclarvm certamen SS. Abdon & Sennes, nobilium persarum, quod Romæ viriliter compeuêre, Anno Salutis 254. Sede vacante, Decij Imperatoris 2. Ex ijs quæ extant apud R. P. Surium in præambulis S. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42728

præcidi iussit. At verò Parmenius præcisa lingua exclamavit; Ora pro me beate Pater Polychronij; video enim os tuum signaculo S. Spiritus munitum esse. Porrò Decius admiratione defixus, Polychronium diuinis rebus spiritu vehementer intentum, & responsum dare recusantem lapidibus cõrundi iussit; qui sublatis in cælum oculis, dum sacrum eius os repetitis lapidum ictibus frangeretur, spiritum Deo tradidit. Cuius corpus eadem nocte, duò subreguli Abdon & Sennes, occultè Christiani, iuxta mœnia vr̄bis Babyloniæ sepeliêrunt. Decius verò Cordubam proficiscens, ceteros catenis vinctos secum abduxit.

*Parmenius
præcisa lin-
gua loquitur.*

*Polychro-
nius excedit
de viuis.*

Vt autem Cordubam ventum est, ilicò ad sacrificia euocati martyres, constanter negârunt se idolis & impuris sceleratisque hominibus honores oblaturus. Tunc Decius omnes in eculeo sublatis neruis distendi, ardētibus laminis ad latera eorum admotis torreri, ac vngulis atrocissimè lacerari præcepit. Postremò cum omnes in supplicijs inuictos, ac Parmeniũ præcipuè elinguem, cæteris animum luculētis sermonibus addere cerneret, de eculeo depositos capitis damnauit; Quorũ corpora præfati Subreguli noctu, suo in prædio iuxta Cordubam condiderunt.

*Parmenius
& socij de-
collantur.*

PRAECLARVM CERTAMEN SS. AB- *Vide 2. Tom:*
don & Sennes, nobilium persarum, quod Roma *Annal. C. Ba-*
viriliter compleuere, Anno Salutis 254. Sede *ronij-*
vacante, Decij Imperatoris 2. Ex ijs quæ extant
apud R. P. Surium in præambulis S. Laurentij.

Dd

CVM

10. Aug.
Iuxta Mar-
tyrologium
Roman. 30.
Iulij.

CVM post præclaram illam in Perside ob-
tentam victoriam, Decius Imperator,
quamplurimos quos ibidem inuenerat
Christianos, atrocissimis, necasset supplicijs,
Romam tandem rediens, duos subregulos Ab-
don & Sennen, quos quod corpora cæsa Chri-
stianorum colligerent ac in suo prædio recon-
derent compræhesos, in suam seruârat gloriam
ac Romani populi spectaculû, catenis vinctos
secum ad Urbem abduxit. Quò cum post men-
ses 4. venisset, conceptum in Christianos odiû
omni tyrannide exprompsit, & imprimis præ-
fatos Christi athletas, præsentè Senatu ad cer-
tamen euocauit. Aderant illi auro quidem &
lapidibus pretiosis, vtpotè subreguli, ornati,
sed catenis vincti. Porrò splendebat ex vultu
eorum fulgur quidem, haud dubiû diuinæ vir-
tutis indicatiû; adeò vt Senatus molestissimè fer-
ret, viros tam præclaros, & regia dignitate con-
spicuos ad supplicia euocari. Decius verò, alla-
to per Claudium Capitolij Pontificem tripode,
blandis admodum verbis & promissis am-
plissimis, ad Dijs sacrificandum eos inuitauit.
At illi animis planè inuictis in cõfessione Chri-
sti perstitère, vndè furore acrius incensus, Va-
leriano præfecto seuerè mandauit, vt atroci
vindiçta martyres puniret, ac suppliciorû im-
manitate reliquis qui in vrbe erant Christianis
terrorem inferret.

*Abdon &
Sennes ten-
tantur blan-
ditijs à De-
cio.*

Mox igitur Valerianus nudatos Christi mar-
tyres, furibundus ad Solis simulacrum, iuxta
amphiteatrum, adduxit: præcepitq; militibus,
vt eos ad thura Dijs cremanda compellerent.
At illi, eieccto summû per contemptum in simu-
lacrum

lacrū sputo, dixerunt Valeriano; Iam fac quod
facturus es. Tum Valerianus ilicò plumbata ex-
pediri, ijsq; atrocissimè cæsos martyres in am-
phiteatrum introduci præcepit, vt ferarum la-
nati morsibus, mētis eius furorem crudeli sua
morte extinguerent. Sed vt martyres, expresso
crucis signo & Christi nomine fidenter inuoca-
to, amphiteatrū ingressi sunt, ilicò feræ (erant
autem Leones duo, & vrsi quatuor) ouina plus-
quàm mansuetudine ad pedes sanctorum rugiē-
tes se demiserunt; & quod maiorem admirati-
onem habet, contra tyranni furorem impetura-
que, eos aliquamdiu mirabiliter tutati sunt. Tā-
dem verò iussu Valeriani gladiatorum ictibus
in ipso amphiteatro trucidati, ad Solis simula-
crum propè amphiteatrum proiecti sunt; vbi
ad Christianorum terrorem, tribus diebus, to-
tidemq; noctibus corpora eorum iacuere. Ter-
tia verò nocte, Cyrinus subdiaconus, cuius æ-
des amphitheatro admodum vicinæ erant, ea
collegit, & in arca plumbea, domi suæ honori-
ficè condidit, 3. Calend. Augusti.

*Damnantur
ad bestias.*

*Nihil ab ijs
leduntur.*

Necantur.

Latuere autem horum sanctorum corpora ad
vsque tempora Constantini, quo imperante di-
uinitus reuelata sunt: & ea à Christianis in cæ-
meterium Pontiani summo cum honore trans-
lata.

*Diuinitus
reuelantur
eorū corpora.*

INSIGNE MARTYRIVM SS. SIXTI

*Papa; Itē Laurentij, Primarij eius Diaconi: Quod
muito consummârunt animo, Anno à Christi
Incarnatione, 261. Valer. & Gal. Imp. 7. Ex ijs
quæ extant apud V. P. Laurent Sur.*

*Vide 2. Tom.
Annal. C.
Baron. &
Not. ad mar-
tyr. Rom.*